

Brevis Disquisition. contra Valerian. Magn. de Acatholicorum credendi regulâ, Socinianus est, & Socinianorum sententiam proponit, quemadmodum vult celeberrimus Theologus Johan. Hoornbeek, ut supra diximus loc. citat.

6. Sic etiam non apertè explicant, An in Scripturarum interpretationibus Ratione utantur duntaxat tanquam mediō seu instrumentō, quō S. Literarum sensus indagatur, atque eruitur, an verò insuper tanquam normâ, secundūm quam omnīs interpretatio dirigenda, & dijudicanda est; nisi idem ille Scriptor, qui posterius hoc passim in libellō suō afferere videtur, & præcipuè cap. 7. Ubi, veram de normâ sententiam expositurus, sic habet; *Itaque negandum est, non esse aliam rationem certò cognoscendi veritatem in materia fidei, quam præmissâ oratione consulere Spiritum S. ex sacris literis. Statuendumque Sacras Literas omnino normam esse controversiarum Fidei. Et hactenus quidem solas, quatenus Traditiones non Scriptæ, quounque tandem nomine veniant, penitus excluduntur. Cæterum ad S. Literarum autoritatem, & genuinam mentem dignoscendam, principia etiam illa, quæ Philosophica appellant, advocanda esse.* Ac postquam Metaphysicam, Logicam, Mathematicam, Ethicam, Historicam ad intellectum S. Scripturæ convocâsset, sic concludit. *Hæc & similia, quæ nemini sano ignota sunt, statuendum est, esse fundamenta cognitionis nostræ, quoad autoritatem sacrarum Literarum, & quoad verum earum sensum. Quare qui istis, sive naturali ingenii bonitate sive experientia vel mediocriter instructus est; is & ipsas Scripturas, ex istis principiis sacras esse cognoscit, & quæ ad salutem sunt necessaria ex Scripturis nullò negotio dijudicabit.*

7. Reformati verò (ut ad illos redeam) non diffitentur quidem ad clariorum S. Scripturæ locorum intelligentiam requiri *sanam mentem, à præjudiciis liberatam, pravis affectibus non occæcatam, & diligenter Dei verbum scrutantem;* sed sufficere negant, nisi insuper, ut modò diximus, illuminatio Spiritus S. accedat. Sic etiam præter illam concedunt quidem, in obscuriorum locorum interpretatione, locum habere considerationem *scopi, & occasionis uniuscujusque loci, subjectæ item materiæ, antecedentium, & consequentium;* nec non *collationem locorum similium;* ac denique *observationem absurditatum palpabilium aliqui secutarum, aliorumque id genus argumentorum, ac rerum indiciorum,* ex quibus loci sensus dignoscitur: præterea etiam, adhibendam esse *Rationem,* tam si per eam facultas ipsa, quam illius dictamina atque reperta denotentur. At facultatem tantum admittunt tanquam subjectum, aut instrumentum; quod S. Literas percipiat intelligatque: reliqua omnia tanquam medium seu instrumentum, quō sensus S. Scripturarum indagetur, ac eruantur: neutquam verò hæc aut illam tanquam argu-